


colorchecker CLASSIC




xrite



Thracia
Dimerzorum

17.

1289



XV^e s. n^o ~~1140~~

~~n^o 6309~~ 1289

- Cable dei mattoni contenute d'una cevolone
1. Christophori Richeri Chorignei de rebus turcarum libri quinque pagina 4.
 2. Commentario dilectissime de turchi di Paulo jorio vescovo di Nocera a Carlo quinto imp. aug. pag. 65.
 3. Laudivii equitis ad flammium Braltrandum in Epistola magni turchi prefatio pag. 108.
 4. Gubelmi caordin obsidionis Rhodie urbis descriptio pag. 131.
 5. Chroue Guichardi Rhodie oratio super Rhodiorum oppugnatione et de ditione pag. 149.
 6. Joan. Quintini pedis ad Sophum insulae Melitae descriptio pagina 161.
 7. Sim. Pegnii Grinopi de foraticae desolatione oratio p. 174.
 8. Mariani Barletti de obsidione scodrensi coniones variae a Memusette turcarum principe et ab aliis nisi critice profectis compositae pag. 177.
 9. Bellum scodrense pagina 249.
 10. Vintiero Riagguggio del successo di Samagorta pagina 260.
 11. Relation de la journal de succedi da alio pag. 264.
 12. Copia di una lettera del sig. Secretario del illust. signore pio andrea Doria con il vero disegno del luogo dove e seguita l'agionata miglia sopra lepanto. pag. 268.
 13. Lettera del Clarissimo S. Giuliano Diedo all' illustrissimo sig. mare antonio Barbaro nella quale e confid il monte si descrive la gran battaglia navale pag. 272.



14. Alphonsi ~~patris~~ De federe e de Victoria contra
Lucas brevis enarratio pagina 303.
15. Johannis baptistae e Casarii De Victoria Christianorum
ad Chinadas oratio. pagina 314.
16. alla sacra maesta Del imperatore Rudolfo II.
Relatione di Mons. Gio Maria tagliaveri intorno
La presa di Gerasano con sue lettere pag. 322.
17. fedel Relatione mandata Dall illust. sig. Baldo
di Cremona f. Oderando Vecchiotti pagina 332.



INSVLAE ME

LITAE DESCRIPTIO
EX COMMENTARIIS RE
RVM QVOTIDIAN
NARVM



F. IOAN. QVINTINI HEDVI
AD SOPHV.M.

VIRTUTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB.
GRYPHIVM,

XX-7 p 2367.

1536.

65



IMPERIAL
LIBRARY
OF THE
UNITED STATES
DEPARTMENT OF
STATE
WASHINGTON
D. C.

COPIES FOR SALE

NO. 1000

GEORGE B. BROWN
LADYMAN, APD, 212

1888



162

REVERENDO

ADMODVM SIBI D. FR.
THOMAE BOSIO ME-
LITENSI EPISCO
POMERI-
TISS.



IN GALLIA Melitam editu-
rus, quã ante annos aliquot elephas
istic conceperam, nolui indulgens, ne
dicam simius, pater recentem & te-
nerum foetum, nullius adhuc robo-
ris, ruboris plurimi, caelo pati usq; adeo disuncto &
docto uagari, tutius inter suos laturum. Itaq; Me-
litam remitto Melitam, sed solam non audeo: ut so-
lent semper liberis parētes timere. Illustrissimi itaq;
militiæ nostræ magistri ductu & patrocínio ad cū-
nas suas reptabit, alterum te parentem & nus-
tritium istic inuentura: ut qui patrem
tibi iamdudum adscriptum habes,

iure quodã originis partum
pariter uendices. Bene

uale. Lugduni

XVI. Maij

Anno

M. D. XXXVI

Ex animo tuus Quintinus.

A 2



Tripoli

MELITA

MARSA HORTVS

CIVITAS

GOZO

COMINO

Esantangelo

Esparitenuo

Esaffero

MOREA

ITALIA

SICILIA

span. 2. nauis

163

QVINTINVS

HAEDVVS SOPHO

SVO S.



MELITAM demum superato Pachyno peruenimus ad Nonas Aprilis, quum nos antè Septembris Idibus Mafsilia foluiffemus. Tam lente (dices) tam pauca stadia: Sophe, tarda nunquam est hyemalis nauigatio: Nec in tanto discrimine, ullo tempore ferus uenit, qui faluus uenit. E' tribus ipsius Triquetre promontorijs, Pachynum unum est uergens in Graciam, unam aut alteram modo literam retinens de ueteri nomine, Passaro, dicunt. Melitam uero quum appuliffem, nihil prius habui, quam (quod de alijs quibusdam proxima ad te epistola feci) ut spectandam tibi illam proponerem. Idc; non longa ualde tabella: neq; enim locus est magnopere fcriptione dignus. Melitas multas apud autores legimus. est Melita in Græcia prope Maratonem campum. est alia à Semyramide condita in Cappadocia, haud procul Euphrate. Est & Melita in Adriatico finu inter Corcyram & Illyricū. Melitam quandam posuit Plinius in Magnesia. Nostra hæc Melita infula est millibus sexaginta, mari fatis periculoso ab Sicilia difiuncta, Africam uersus,

A 3 sus,

fus, Punicæ quondam ditionis, quæ & ipsa adhuc
Aphrorum lingua utitur : & nonnullæ etiamnum
Punicis literis inscriptæ stelæ lapideæ extant : figura
& appositis quibusdam punctulis , propè accedunt
ad Hebræas. Atque ut scias aut nihil aut minimum
differre à uetere, quod nunc habent idioma, Hanno-
nis cuiusdam Pœni apud Plautum, Auicennæ, hu-
iusq; similiū Punicæ uerba plurima intelligunt Me-
litenses, tametsi sermo is sit, qui literis Latinis expris-
mi bene non potest : multo minus ore aliquo enun-
ciari, nisi suæ gentis. Eiusdem quoq; sunt linguæ uer-
ba illa in Euangelio Eloi, Ephta, Cumi. Nunc Siculi
iuris est ac moris, Romanorum enim esse incepit,
quum & Sicilia, semper eodem post iure, hsdemq;
prætoribus usa. Urbem unam eodem, quo ipsa est,
nomine habet. Non in nouissimum profecto digna
admiratu insula, uel ob hoc unum, quòd quum in-
gens sit & spatiosa quædam rupes, uerius quàm in-
sula, quæq; olim natura nolente (est enim, uti dixi,
scopulo quàm insulæ similior) haud magnas opes,
magnumq; nomen sibi facere potuerit: tamen aliqua
semper extiterit apud antiquos nominis celebratio-
ne. E plurimis cognita mihi pauca recensero, dum
uacat, & in eiusmodi nugis ludere adhuc iuuat. Prin-
cipio, insulæ Melitæ rex quondam fuit, Battus nomi-
ne, opibus & diuitijs potens in primis & nobilis, clas-
sus insuper hospitij fœdere cum Phœnissa Didone,
iam

iam tum ultimis illis temporibus, dum hæc exiguam
 adhuc Byrsam taurino tergo in littore Libyco meta-
 retur. Ad quem etiam post regno expulsa per Hyar-
 bam Anna, sorore mortua, confugit, hospitium ue-
 tus Melitensium & necessitudinem sequuta. ubi co-
 miter accepta, & pari fide apud hospitem Regem ha-
 bita, profuga duos egit annos, relictæ patriæ, regni,
 simul & sororis amissæ desiderium, una Melita,
 quantulacuncq; esset, tam grata & obuia terra solans:
 quam deinde metu coacta Pygmalionis fratris in-
 uita deseruit, Romanos olim factos auctura, inquit
 Ouidius mensis Martij festa recensens, Agrigentino
 Phalaridi magno, ac uetusti nominis tyranno (uixit
 enim dum tertius Romæ Tullus Hostilius regnaret)
 non leuis intercessit cum Melitensibus amicitia con-
 iunctio: cuius est in Lucianicis epistolis ingens argu-
 mentum petitæ ab his, & mutuo sumptæ per tyran-
 num pecuniæ. Est Agrigentum, qui & Aggragas
 Vergilio cæterisq; dictus, oppidulum modo in ora
 Sicilia, centum uiginti à Melita millibus, nihil nunc
 præter ueterem appellationem, eandemq; ualde cor-
 ruptam de antiquo seruans: tum fuit nobile: & tum
 quoq; uix dum bene condita erat Roma, quum iam
 nostra hæc Melita florebat Regum, Tyrannorumq;
 amicitia, seculis aliquot antè exædificata. In qua pa-
 riter ab oppido non longe (ut autor est Cicero) in
 promontorio fanum fuit Iunonis antiquissimum, &
 nobilissi

nobilissimum, magna ui donariorū priscam circum
populorum religionē ostendens. Vnde inter cætera
sublatos incredibili magnitudine dentes eburneos,
& in Aphricam per præfectum Regium portatos, re
cognita, statim quæqueremi, numen ueritus, Malsis
nissa eò referendos reponendosq; curauit. Hercules
etiam delubro hic omnibus ubiq; gentibus sanctissi
mo cultus, Melitensium laudis admiratio nō postre
ma est. Iunonem Ptolemæus in ea insulæ parte po
suit, quæ Orientem spectat, Herculem ad Austrum;
utriusq; sacri fama est, parum tamen hætenus incol
lis audita. Herculani templi (si modo uera è Ptole
mæo diuino) immensæ adhuc reliquiæ patent, cir
cuitu in passus ter mille & ultrà, in eo insulæ angulo
quem ab argumento loci, patria lingua Euri portum
nominant. Ima pars extat in plerisq; lapidum lon
gitudinis crassitudinisq; stupendæ. Iunonis templū
non solum inter magna, sed etiam inter magnifica
numerari potuisse arbitror ex his quæ pauca durāt,
medio ferè loco inter oppidum & castellum. Ruina
sparsa apparet in multa iugera, fundamentis & sub
structionibus templi bonam portus eius partem oc
cupantibus, longe etiam in mari, in quo inædifica
tum erat infra cliuū promontoriū, in planitie undiq;
à uentis, & præaltis rupibus defensa. Non est locus
effabilis, nisi gentis ipsius ore. In uertice promontor
iū sacellum est Diuæ Virgini dicatū, cognominatæ
à corte

à corte. Et hoc quoque super cæterã antiquitatis gloriam Melita præfert, quòd cum inter duos terrarum principes populos Romanum, & Carthaginiensem, de Sicilia, imò uerius de orbis imperio, certamen esset, non paruum semper, ab alterutro teneretur, uictoriæ momentum attulit, plurimumque ualuit ad Siculos præsertim, in fide partium, & imperio continendos: est enim uelut specula quædam in hoc mari ad Aphricam, ex qua facile in Siciliam irruas. Hinc à Cicerone scriptum, his ferè in locis Punica illa bella nauali prælio gesta, atque uersata esse: Romanis tamen inclinatio. Hæc nempe in magno secundi belli Punici apparatu dum à Pœnis possideretur, sedente iam ad Trebiam Annibale, aduenienti Sempronio consuli, qui in eam à Lilybæo traiecerat, cum Amilcare Gisgonis filio præfecto præsidij, & paulo minus duobus millibus militum statim tradita est, inquit Liuius. libro eius belli primo. Prætori Verri Melitenses uestes in iudicio, mella quoque, & stragula Melitensia obiecta sunt. Puluinus item Melitenti rosa fartus. Huius insulæ Strabo nobiles illos adagio, non minus quàm medicinis, canes adscribit, inde Melitæos dictos, Plinio, & nunc etiam incolis ignotos, tunc forte nascebantur. Scribit in historia sua Lucas euāgelista Paulum CHRISTI Apostolum Melitam uenisse, naufragumque & uinctum multa humanitate à Barbaris susceptum.

B Quin

Quin etiam & hoc memoriae proditum est, Melitæ sub Innocentio Papa X X X V I I I, habitam synodum ducentorum & quatuordecim episcoporum contra Pelagium hæreucum, in qua tum præter cæteros, adtuerunt Sylvianus episcopus Melitæ, Aurelius Carthaginientis, & Augustinus Hipponensis episcopi: inde illa Melitensia concilia, receptissimæ inter ecclesiastica decreta autoritatis, Meliuetana Gratianus nominat: & magnus ille Manicheorum propugnator Faustus, Meliuetanus pariter nuncupatur. Quam nunc uulgò appellationem Romana similiter curia usurpat, de Melita nostra sentiens, ex qua Meliuetum detorserunt: cum neutra uoce uulgaris appellatio conuenit, Malta uocatur. Antoninus in iunere suo recensens insulas inter Siciliam & Africam, meminit cuiusdam Maltaciæ: unde puto à corruptis illis & iam barbaris temporibus nostram quoque nunc uocem corruptam. Quod undecunque, & à quibuscunque immutatum nomen fuerit, hanc tamen insulam & esse, & dici Melitam sunt testimonio geographici omnes atque historici. Est insuper ad fidem epigramma quoddam ingenti marmoreo sepulchro hic adscriptum, sequentibus notis: Α. ΚΑ. ΥΙΟΕ. ΚΥΡ. ΙΡΡΕΥΕ ΡΩΜΑΙΩΝ, ΠΡΩΤΟΕ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. Numisma uetus habeo ex ære, in quo altera parte excusa Deæ Iunonis effigies, altera Remi lauitudo, hac inscriptione, ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ

ΤΑΙΩΝ· que nobis & nomen, & insignem gentis ar-
 tem prodit. Sunt alia apud alios, quæ quamlibet de-
 fertam Melitam, in obscuro esse non sinunt: & mo-
 do (quod primis suis ornamentis annumerare de-
 bet) Melita Hierosolymitanorum Militum sedes est.
 Patet insula tota circuitu L X. millia: quæ latior est,
 passuum millia XII. continet: longa passuum mil-
 lia XX. Nulla in toto nostro mari insula distat à
 continenti longius. Quæ plus Italiæ propinquat,
 Cocyntum est, nautarum modo uulgus loco dedit
 nomen, Spartiuento: quod esse longissimum Italiæ
 promontorium existimant: intersunt passuum mil-
 lia ducenta. Pluribus ab Africâ recedit. Quibus
 fuit curæ cælo terras dimetiri, ciuitatis Melitensis
 radicem, insulæq; medium dixerunt esse in gradibus
 38. 45. longitudinis, latitudinis uero 34. 40. Pa-
 gis est, & incolis frequentior, quàm pro terræ boni-
 tate. Parœciæ octo sunt extra oppidum ipsum:
 in quibus (quod iure admirabile est in tam angus-
 to, deserto, & agresti loco) censentur hominum ca-
 pita supra uiginti millia, & quod æquè mirandum,
 plerique uitæ annos excedentes octoginta. Hanc
 Siculum fretum tam crebro lancinat, tam multis
 recessibus excauat, ut breuis admodum ora in sex
 aut plures curuetur portus, in quibus ferè omni-
 bus uestigia quondam habitati soli. Semper enim
 fuit pyratica statione nota. Reliqua ferè sui parte

rupibus immensæ altitudinis, ac profundo mari se-
pta. Arx est prærupte alta in cacumine, excisæ &
undique impendentis rupis, ad Orientale insulæ
latus, in Aquilonem tendens, antè tota ruinis de-
formata & caduca, uix consistens, sed quam mo-
do, præter naturalia præsidia, & præcipitia, sic
assiduo quoque opere muniunt, ut sit, si pergant,
futura breui inexpugnabilis, & hosti nullis belli ma-
chinis, nullo ferro, sed fame tantum peruia. Intus
habitat illustrissimus ordinis Hierosolymitani Ma-
gister. In arcis pede uicus est (nunc hominum fre-
quentia, & muris ciuitas) in rupe quoque totus ex-
ædificatus, aut uerius effossus: quem unà cum ar-
ce, dextra, læuâq; admissum ad portus mare cir-
cumactis, curuatisq; littoribus alluit. Agit hic Hie-
rosolymitanorum militum conuentus, sane perin-
commode: locus est enim uentis omnibus obno-
xius, ut uniuersa insula. Laceræ, & ruinosæ ædes
putribus & infectis parietibus, humili solo: sine con-
tignatione ædificia, tecta rudere, aut pauimentis,
aut arundinum tegulo operta, quod potest pauis-
tur. Quid uis? urbem demas, & suburbanas ali-
quot domus, Aphricana magalia diceres. Terræ ta-
men quoddam genus habent lautioris, lactei co-
loris, quæ pro calce & gypso aqua diluitur ad tes-
toriorum albaria. Octo à uico milibus in medi-
terraneo ciuitas est, maioris cuiusdam reliquiæ: non
inamœna

inamœna quidem illa, & culta satis pro loci gen-
tisq; genio. Salubri cœlo, sicuti tota insula, ipsæ præ-
fertim qui iam diutina mansionis consuetudine illi
assueverunt. Fontibus rigua est, hortis consita, pal-
mas, sed steriles, nec sponte genitas ferentibus,
oleasq; ac uites (uuis tamen quàm uino meliores)
& cum reliquo pomorum genere, ficus: breuiter,
eosdem omnes, quos & Italia, fructus producent.
Rosas quoque gignunt odoris suauissimi, ut sunt
hortensium, quibus abundant, omnia odoratissi-
ma ac saporis gratissimi apud eos, quia sicca. Ros-
sa tamen præ cæteris, quæ proprie ruderatum a-
grum amat, qualis est Melitensis. Quare fiunt opti-
ma & hoc tractu mella, ut quæ sint thymi, uiola-
rum, florumq; apibus, & aluearijs conuenientium
condita: Sic ut nomen traxisse uideri possit insu-
la, ipso nomine mellis gloriam statim præferens.
Huic pariter est cotonon familiare, unde magni pro-
uentus Insulani. hoc olim aliqui gossipion uoca-
uere, plures xilon, ideo lina inde facta xilina, in-
quit Plinius, Aegypto tantum nascens dum is au-
tor uixit. Nunc in Sicilia, Calabria, Hispania, &
alijs locis pluribus feritur: uerum Melitense ma-
xime horum laudatur, multum præcipue superas-
to Africo & Hispaniensi: alterius enim natio-
nis crassius est. Cotonon cæteris aptius Vlpianus
ὀρίξυλον nominauit, quasi diceret è ligno lanam, &

Ianæ appellatione contineri respondit libro tertio
de legatis . Speciem eius non tradunt autores, quos
equidem legerim : prolixius itaque depingam : præ-
sertim quia est admirabile nostratibus , aliquid ex
arbore nasci, quod tam molle & lanæum ab exo-
tico aliquo animante detonsum putant. Frutex est
arbusculæ modo, pedali magnitudine, caule ligno-
so, à quo rami terni, quaterniue fruticant : folia,
ni minora essent, uitium poterant uideri : flos sub-
cæruleus : fructum defert amplitudine auellanæ nu-
cis, qui maturitate ruptus, præduras pilas ostens-
dit tenui lanugine obductas, ex qua cottonon ne-
tur in textrinis, mira depectendi arte : ex quo &
mapalia, & uestes hic muliebres conficiuntur, ut
iam nobis laniferæ Indorum arbores, gossampia-
næq; uestes miraculo esse non debeant. Ad uela nas-
uium etiam perutile, & multum expetitur. So-
lum amat tenue magis quàm pingue, coelum uti-
que siccum, uix aliter habiturum Melitæ aruum.
Miratus sum hoc, quanquàm calidius solum est, si-
mo misceri ab agricolis & stercoreari, quum sole sta-
tim inarescant omnia. Vere seritur, nec nisi pridie
madefactum, & in aruo statim restibili, illo enim a-
grum pinguescere ferunt, mox aratum integitur cra-
te, uel rastro quod supertrahunt : suo sarritur tem-
pore, & runcatione quadam inutilibus herbis libe-
ratur tam manu, quàm sarculo : dum uellitur, tunc
pluuias.

pluuias horrent. Incolæ hoc maxime cupiunt ferere, si liceat: quoniam quæstus plus quam è frumento; cuius etiam admodum ferax non est insula. Hac una re uel maxime felix, quod iuxtà sita est Sicilia, frugum omnium fertilissima, quæ illis pro horreo est, fame alioqui perituris. Et homines etiam superstitiosi, ceu patriæ sterilitatis conscij, ualde tenuem uitam agunt. Gignit etiam Melita cuminum, notam herbam medicinis, & condimentis, quod & crustæ panis inspergitur gratissimè: solo gracili gaudet. Duo eius genera: unum est magna gustus acrimonia, aromatum modo odoratum: cuminum agrion uulgò uocant: alterum per omnia refert anethum, & anilum; satiuum utrunque. Cuminum Africano, quale hoc nostrum, palma semper data: unde incolis magnum cumini atque cottoni cum exteris nationibus commercium. Super omnia est, hanc soli exilitatem, nec ipsam agricolis operosam, toto anno feri, & inde aliquid meti. Biteræ arbores, binæ sæpe messes: demesso enim ordeo, mox cottonum succedit, uel ordeum cottono, adeo terra non cessat parere. Idc̄q; si sit aptum solum, magna foecunditate: è modio siquidem sexdecim, & plures nonnunquam modij redduntur: ordinatum autem ut cum decimo ac duodecimo foenore totius insulæ campi fundant: ob id (credo) ab Ouidio fertilitatis titulo decoratur Melite.

Petrosa

Petrosa pene tota est, & salebrosa, etiam (quod non crederes) ubi aliquid gignit, terra uix binum aut trinum cubitorum altitudine, ut sæpe mirari succurrat, quomodo in ea radices agant arbores, fruges gignantur, frutices uiuant, lapidibus omnia occupantibus: operarijs tamen, quippe qui structuræ, & ædificijs non habeantur inutiles, nec in calce improbentur. Candidi sunt, & mollitia insignes, terra secantur facilius etiam quàm lignum: Ingentes sæpe lapidum glebæ è solida rupe cuneis diuidentium soluuntur. Ideo in opere tractabiles, sed minus ad humores, & auram maris robusti, nec satis coagmentationibus & cæmentis nimia siccitate fideles. Pleraque eius alia inculta, & deserta omnia. Campi late pleni lapidibus: sub quibus tamen gramen exoritur, à quo pecoribus pabuli suppeditatur ubertas. Atque hæ rupes magna ex parte serpillo, cythiso, thymo scatent. Trogloditæ in ea multi: specus excauant: hæ illis domus. Passim non nisi atræ degeneresq; herbæ. Carduis quibusdam incolæ pro lignis utuntur, qui cum siccatu boum editu, clibanis & furnis præbent usum: Idem præstat cotoni semen, gratissimum pariter pabulo bubus, glandis sapore. Alijs item carduis uescitur uulgus: non ijs quos iam in ganeam cum Italis uertimus (quanquam & hos habent in magna copia) sed multo asperioribus. Salsæ & fecundæ
lentæ

lentæ aquæ : & qui sunt in insula dulcioribus aquis fontes, credo hybernis plerosq; constare imbribus, quorum non in altum origo est, frequenter enim æstate deficiunt, semper subsidunt. Potus ex imbre (si quis est) cisternis seruato, & frequentius scrobibus. Aestu uere Libyco infesta : ut hic iam sitientes Virgiliani pastoris Aphros agnoscere incipias. uulgus colore præfert sydus, tingitur sole, nondum tamen Aethiopum modo exustum. Aestum temperat aliquando uentus, sed tanta uiolentia, ut homines penè, & tecta rapiat, puluerem secum agens oculis maxime noxium : in quos etiam regeustus è rupium candore nimius solis ardor aciem supra modum offendit, oculorum caliginem & scintillationes afferens. Neque niuem, neque glaciem uiderunt unquam. Septentrionales enim uenti, qui nostratis bus, ut omnium frigidissimi, niuales sunt, & cœlum reddunt serenum, his frequenter imbres pariunt : quod à Lucano de Aphrica similiter traditum est. Quare alieno tempore uernat. Bruma nunc uirent omnia, florent etiam arbores. Tum maximè læta pascua, herbis etiam media inter saxa erumpentibus. Reliquo fere anni tempore exusta flammis, & solis incendio cremata. Roscidas tamen æstate noctes habent, pluuiarum uice : Fruges nocturno hoc tactæ rore nutriuntur. Quin & eodem animalia crediderim ali, quum siccitas coërcet herbas,

C tunc

tunc sub diuo muris inclusa pecorum mansione. Siculo sunt homines ingenio, Aphro confuso: ad prælia parum fortes & commodi. Non eram dicturus, nisi Rex ipse Melitensium Battus grauius quiddam de se, suisq; apud Quidium fateretur. Fœminæ non ignobili forma, sed persimiles feris, coetum reliquorum mortalium fugiunt; uelatae prodeunt foras, ita ut hic uidisse mulierem, stuprasse sit. Gens est religionis haudquaquam negligens. Diuo Paulo consecrata est Melita, quem quondam natio illa Deum credidit, cuius mira quædam tota insula priuatim ac publicè religio est. Augustius in ea templum, ubi nunc episcopi sedes, Paulo dicatum est: & tota ea insula sacella. Nec enim (Lucae adducti, sicuti uolunt, annalibus) tenacius, certius uel credunt indigenæ Petrum Romæ fuisse, quàm Paulum Melitæ: quam sibi quoque persuasionem, nauigandi quadam ratione, cuius sunt apprime periti, sumplisse uideri uolunt: quam ab eis acceptam referam, ut potero: digna enim scitu uisa est, nec minus iucunda auditu, ijs præsertim qui rebus marinis delectantur. Rem igitur sic extra controuersiam ponere conantur. Paulus (inquiunt) Cretam deferens è Claudæ (Ptolemæo Claudus est, Plinio Gaudos, uulgò nunc Gozo) medio inter Occidentem & Meridiem portu, ijs actus uentis quos Lucas describit, neque Lesbum, neque in Ioniam, quò nonnulli

nonnulli Paulum Melita auertunt, ferri potuit. Si
quidem eò inde nauigatur non Orientalibus uen-
tis, qui contrà flant è diametro, sed Meridionalibus:
qui tum Paulum deseruerunt, dum Cretam præter-
legeret, coorto Typhone: quo correpta nauis obs-
niti amplius non ualuit, nec cursum in Italiam te-
nere. A Creta uerum est Euro, qui tum spirabat,
nauigari in Siciliam, plena & tranquilla uelificatio-
ne: & certe Eurus ab insula Claudia Paulum rectà
uexisset ad Pachynum Siciliae promontorium, nisi
(quemadmodum scripsit Euangelista) *ὕρον λυδῶν* fu-
isset, id est, nisi fuisset Eurus cum fluctuatione &
tempestate maris. Quem tunc uentum nauitæ so-
lent Typhonicum cognominare, præcipuam nauis
gantium pestem inquit Plinius: hoc enim uiolento
nimis, & procelloso Euro iactata Pauli nauis, res-
licto ad dexteram Pachyno, infra multò ad Mes-
litam, quæ tum fuit eis propinquior terra, ui uen-
ti abrepta est: ubi in littus impegit. Vnde Romam
(si quis eam uelit) mari iter est, quale ordine posuit
Lucas, Syraculis, Rhegio, Puteolis. Rident illum
nescio quem Euroaquilonem mari nostro (aiunt) &
terris incognitum, quem admirantur quæ noua or-
bis regio insufflarit illius sacrae historiae interpretis
bus. Hoc sibi modo Paulum astruunt nauitæ Mes-
litenses: cuius insuper uestigia non in uno loco de-
monstrant, & adorant. Visitur littus loci illius bis

maris (Chersonessos Ptolemæo dicitur, & uere est) nunc à Paulo hic uetustissimè cognominatum, in quod is nauem illisit. Ibi non ultimæ uenerationis ædicula lapide extracta. Propter urbem spelunca est effossa introrsum rupe, duabus intus aris, ubi cum uinctis Paulum tres asseruatum menses referunt, insulanos interim uarijs morbis & infirmitatibus uexatos sanantem, & ad CHRISTVM sua prædicatione uocantem. Præterea (ut hæc insula non solum ab eo diligi, sed etiam penè incolis, & custodiri uideatur) Melitæ nullum maleficum serpentis genus neque nascitur, neque nocet aliunde inuectum: sunt indigenæ quasi terrori serpentibus. Scorpiones, dirum alibi animal, inter manus lasciuientium puerorum conspiciuntur innocui: uidi qui manderet: Quod Paulo Viperam admorso pendentem digito citra noxiam excutienti ferunt acceptum. Ex eo, quod modo dixi, antro nullo non die per aduenas lapidum frustra effringuntur, quibus Serpentum & Scorpionum ictibus tota Aphrica, & Italia, Romæ etiam palàm sese mederi affirmant: plebs gratiam sancti Pauli nominat. Est insula Gaulos breuissimo transitu à Melita, latitudine intercurrentis freti quinq; millia non amplius passuum: parua quidem, ambitu duntaxat XXX. millia passuum: sed quæ fertilitate non cedit Melitæ, cuius Præsulè cognoscit: in hac oppidulum, ad cuius portam

171

tam adstructum est inter cæteros lapides marmo-
ris fragmentum, uetus insulæ nomen indicans: Sic
enim scriptū legitur in eo. M. GALLIO C. F.
QVIR. EQVO PVBLICO EXORNA-
TO A' DIVO ANTONINO AVG.
PIO PLEBS GAULITANA EX AERE
CONLATO OB MERITA ET IN SO-
LATIVM GALLII POSTHVMI PA-
TRONI MVNICIPALIS PATRIS
EIVS POSVIT. Loquitur hic apertò lapis de
Gaulo male à nonnullis factam Cosyram. Quam
geographici omnes inter promontoria Lilybæum, &
Mercurij, hoc Aphricæ, illud Siciliæ, pari penè in-
teruallo reponunt. Nautis hoc tempore Panthala-
rea nominata, centum à Melita millibus, quum sit
Gaulos ferme contigua. Deceptos hoc dixisse conij-
cio Ouidiano illo uersu Fastorum tertio: Fertilis est
Melite sterili uicina Cosyræ, Insula quam Libyci
uerberat unda freti. dum is Annam fugientē è Car-
thagine describit: quam equidem non dubito à pro-
montorio Mercurij (nautæ nunc sua lingua capo
bono uocant, aduersum Siciliæ in altum ualde pro-
currens) Cosyram uenisse: nulla enim promonto-
rio uicinior, abest quinquaginta millibus pass. de-
inde rectà quò destinarat Melitam ad amicum Re-
gem contendisse: Propterea Cosyram cum Melita
coniunxisse Poëtam. Habes Melitam, Sophe dul-

cissime, pessimis quidem depictam coloribus, & ab
imperito pictore: cæterum isthæc leges ociosus &
dormitans, interim tecum reputans, quid, & à quo
describatur: & intelliges Melitam non alium A
pellem sibi depoposcisse. Vale Sophe cha
rissime, peregrinantis, id est, multa post
experientia, ea quæ tu antè præci
piebas cognoscentis amici tui
memor. Melitæ X X,
die Ianuarij, qui
mihi facer &
natalis est
M. D. XXXIII.

QVINTINVS ex animo tuus.


o



o

Fragmentary handwritten text visible along the right edge of the page, including characters such as 'b', 'r', 'u', 'o', 'p', 'i', 'v', 'm'.





The
Din





